



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Caput III. De abstinentia ab operibus servilibus die festo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

tunc exeat. Illi autem iter agentes, mercatores, similesque, certe nec excusari debent; communiter tamen excusantur, quia ad obligationem non attendunt, sed quæque fide procedunt. De hac Responsione Recloris admonitio Patre congregationis, versa res est in disputationem, altero negante, concedente altero, qui, fateatur quidem moraliter censeri adesse præceptum illa hora una, vel altera ante mediam noctem, negabat, toto die Sabbati, idque propter sufficientem distantiam à die Dominico, præsertim in hoc præcepto, quod non judicatur tam rigorosè recipiendum; ut ex praxi, qua propter tot capita fideles ab eo excusare consuevimus, perspicuum est. Et hæc quidem illi Patres. Sed cuius sententiæ profecturi iuvenes annuerint, ignoro: illa duo scilicet, & utrumque Patrem probabiliter esse loquutum; & quamquam hæc in re propinquitas, vel distantia, ex gravitate, & rigore præcepti, ex praxi timoratorum, ex operis necessitate, utilitate, honestate, & cæteris similibus, iudicio prudentis, ut *Opusc. 3. lib. 2. c. 6. §. 1.* fecimus, esse iudicandum, Quod quidem iudicium, cum diversum ex variis causis esse soleat, ut fuit in proposito casu; mirum non est, si frequenter idem casus diversimodè à diversis, probabiliter resolvatur.

CAPUT III.

De Abstinencia ab operibus servilibus die festo.

§. I. Quam sint servilia.

1. Opera propriè servilia, quæ sub mortali in diebus festis verantur, ea sunt, ad quæ deputantur servi, atque exerceri à liberis nequaquam solent, & immediate in corporis utilitatem fieri, ut plurimum consueverunt. Ita *Suar. 1. de relig. tr. 2. lib. 2. c. 23.* Cast. Pal. 1. 2. d. unica, de observ. fest. p. 5. Hujus generis sine dubio censentur, arare, fodere, serere, ligna, lapidesve cadere, fabricare, & universaliter opera artium mechanicarum exhibere: liberalia sunt ea, quæ ad artes liberales pertinent, atque à liberis exercentur, & immediate referri, ut plurimum solent, ad instruendam mentem, seu ingenium; qualia sunt, dare consilium, concionari, studere, docere, discere, cantare, organa musica pulsare, choreas agere, de gladiari, vulgò (*schermire*) Bellum gerere, &c. Ita Laym. lib. 4. tr. 7. c. 2. n. 6. citans Molinam, & Besarium. Inveniuntur & alia tertij generis, quæ scilicet sunt servis, & liberis communia, ut iter facere, venari, piscari. Vide tamen quæ dicam à n. 8.

2. Jam verò certum sit primò, servilia esse prohibita liberalia, & communia, non item. Patet ex illo *Levit. 28. Omne opus servile non facies in eo*, quod ab Ecclesia receptum jam est c. licet, de servis.

3. Certum sit secundò, servilia, tamen si non fiant propter lucrum, esse prohibita; quia adhuc sunt servilia, prohibitio autem non est nisi de ipsis operibus; quare parum facit, an ob lucrum exercentur, an verò gratis; contra, tamen liberalia, tamen communia, si fiant ob lucrum, non propterea prohibitioni sunt obnoxia, (idem si fiant ex officio) quia spes lucri, vel ea facere ex officio, non transferunt opus ex se liberale, in servile, studere, v. g. sive ob lucrum fiat, sive gratis, suam operis liberalis naturam semper retinet.

4. Certum sit tertio, si quid facias ob finem moraliter bonum, v. g. ares ad sublevandos pauperes, ad reparandam Ecclesiam, &c. te non extrahere opus servile à suis terminis, & in liberale transmutare. Quamvis enim interdum opera servilia ob talem finem liceant diebus festis, id non est, quia induant rationem operis liberalis, sed ob alias rationes infra expendendas.

5. Certum sit quarto, in hac re maximam habendam esse rationem usus, & consuetudinis: potest enim usus

quas artes pro servilibus habere, & consequenter eas veritas esse diebus festis, & contra. Servitus enim, & ignobilitas operis, præmaximè ex estimatione hominum comprobatur. His iactis fundamentis, in illis operibus, quibus aliqua subdubitatio de ipsarum conditione exorta est, tantisper immoremur.

Transcribere.

6. Licet die festo transcribere. Ita Pelliz. in man. Reg. tr. 5. c. 4. n. 23. Laym. lib. 4. tr. 7. c. 2. Sanch. c. 2. l. 5. d. 11. Cast. l. c. n. 4. & 5. sive enim gratis, sive ex mercede, sive ex officio, sive alio modo fiat, semper est opus liberale: quia non differt ab ipsa actione scribendi; & Romæ passim copistæ, die festo sine scrupulo, suum hoc munus obeunt publice.

7. Hinc & licet Brevia, & Privilegia transcribere, item libros corrigere, sive id fiat delendo lineas, sive superposita charta conglutinata; id enim quamvis videatur servile, est tamen accessorium, quando per accedens fit ab ipso corrigente: sicuti etiam Typographo licet characteres ordinare, seu componere; non autem Torculari exprimere, quod certè servile est. Ita Homobonus, & Layman apud Dianam p. 4. tract. 4. res. 6. licet denique computare mercadem, & illam solvere operariis, rationes dati, & accepti facere, ac transcribere; non enim hæc sunt servilia. Ex his discite similia.

Quid de scribendis, vel exscribendis notis Musicis Respondeo. Id pertinet ad artem liberalem Musicæ; atque adeò, non esse diebus festis prohibitum, nequaquam ambigo. At lineas iidem notis subjectas, seriendæ, & per se duere non permittit: id enim mechanicum quid est, & apparatus ad scribendum, non verò est, scribentes nisi fortè per accedens interdum fiat, quando nimirum eas designare necessarium videatur ad præsentem notas describendas.

Pingere, Venari, Piscari, Sculptere.

8. Concedunt non pauci, die festo imitari, seu trahere exemplaria, item designare, item feceris ac eadem exemplaria excipere, item discipulis Pictorum aliquid ad discendum delineare: hæc enim (aiunt, & quidem rectè) ad ingenium exercendum magis, quod est quid liberale; quam ad operandum referuntur. Ita Castro Pal. l. c. n. 7. aliique apud ipsum; sed de ipsa absoluta pictura idem docere prædicti Doctores nequaquam audent. Brevis ardet mihi sententia Laym. lib. 4. tr. 7. c. 2. n. 3. cui adde S. v. Festum, p. 5. Pelliz. tract. 5. cap. 4. n. 25. aliique apud Castro Pal. l. c. n. 6. qui, cum dixisset, Pictoris contendere, suam artem unam esse ex liberalibus; conclusit, esse probabile, pingere sine magno apparatu licere die festo: verum enim pingere, liberale est, ipsi scriptioni simillimum: nam perinde color in pictura, ac atramentum in scriptura, ex vase in telam, seu chartam artificiosè deponitur, & quoad operationem ipsam materiale, quæ ab hoc præcepto potissimum respicitur, & prohibetur; parum facit, quod pictura intendat rerum imagines exprimere, scriptura autem internos conceptus.

9. Sed urgeat scrupulus: quisnam est ejusmodi magnus apparatus? Puto esse eum, quo conteruntur, seu miscentur colores, edolantur tabulæ, gypso parantur telæ, efformantur penicilli, &c. hæc enim verè famulorum sunt ministeria; & certè idem esset in venatione, vel piscatione: quia quamvis hæc licitè ex se exercentur die festo; tamen, si aliqua intermiscantur propria servorum, non exercebuntur licitè. Ita Layman. loc. cit. n. 6. Diana p. 4. tract. 4. res. sol. 222. lege Cast. ibid. n. 8. ubi multi pro hac sententia citantur, Azor, Sà, Bonac, &c. Hujus generis esset reficere ex proposito retia, componere seriò arma, menta, elcas, hamos, nassas, principaliter compingere; immò, & eadem magna retia, quas *Sciabbie* as vocamus, magno nisu, & piscatorum labore, longo tempore atrahere, & similia. Vide infra, §. 2. n. 23.

10. Quid de arte sculptoria? Respondeo certè hanc

difficillimæ applicationis est ejusmodi occupatio, unde recreationis etiam causa ab honestis fœminis excipi solet; Certe, Filiucius modò n. 14. citatus, excusavit opus distillandi aliquid simplex, vel mixtum, in quod exigua corporis fatigatio impenditur: at exigua etiam impenditur in tritico, per otium emundando. Pari modo ibid. excusavit opus à mortali, cum, qui molâ bene intrudat præfider in pistrino; quia hæc modica apparet applicatio &c. Sed hæc dubitandi causâ sunt dumtaxat dicta.

§. II. De Causis excusantibus in operando in diebus festis.

Brevitas temporis.

1. Per duas horas vacare servilibus non esse mortale, est jam nostra ætate recepta sententia. Ita Diana p. 2. r. 15. ref. 36. & p. 5. r. 5. ref. 3. quia modicum tempus judicatur duarum horarum spatium, comparatione viginti quatuor horarum. Apud Marchantium q. 1. c. 3. 4. 2. apud Dian. citat. aliquis de etiam horas quatuor: Ipse requirit tres ad mortale. Sed his, saltem ob communem sensum Fidelium in contrarium, assentiri non debeo.

2. Notat hic Sanchez lib. 1. in Dec. c. 4. n. 12. Bonac. mox citandus num. 3. non esse mortale, singulis festis per duas operari horas, quamvis animo fixum teneas id toto anno efficere velle, & de facto efficias. Ratio est, quia unus dies festus non adnectitur cum alio, ad hujus materiæ gravitatem efformandam. Non ab simili modo advertit Bonacina diff. 5. de 3. Dec. præc. q. un. p. 3. num. 4. Pellizz. r. 5. man. Reg. c. 4. sect. 1. n. 8. aliique, Dominum injungentem laborem duarum horarum, viginti, v.g. famulis simili, non peccaturum mortaliter; quia unius opus nequaquam unitur cum opere alterius: idemque erit, ex Portella in dub. reg. v. Laborare, in additione, si singuli successivè per modicam horam in eodem die laborent, etiam si uno post alterum laborante, totus dies occupetur, quia pari modo minus opus cum alio non connectitur. Contrà, peccabitur mortaliter, si idem in eodem festo, diversis vicibus interpolatis, modicè quidem laboret, sed ita, ut unum ascendatur ad tempus notabile. Ita Sanch. in Dec. lib. 1. c. 4. n. 8. Portella in dub. Reg. v. Festi dies, n. 2. in addit. quia, une diversa illa parva intervalla violata in eodem die constant unam notabilem violationem: sicut, si quis eodem die jejuni per diversa intervalla singulis vicibus modicè comederet; jejunium violaret, quando illa modica unita notabilem facerent comestionem.

Divinus cultus.

3. Opera servilia immediatè, vel propinquè divino cultui servientia, ut crucem deferre, organa, campapallum pulsare, &c. exerceri in festo possunt. Ita Suar. Fag. Bon. Azor, aliique apud Castr. Pal. tom. 2. d. 2. de observatione festi d. nica, p. 20. num. 1. quia ex tanta propinquitate cum divino cultu, sufficientem concipiunt liberalitatem: & sanè præceptum hoc, quo divinis cultus attenditur, non debuit ea, quæ proxime ad ipsum cultum faciunt, prohibere. Altaria ornamentis vestire, templum vertere, parietes Ecclesiæ auleis adornare, conficere Hostias &c. etiam quando potuissent die non festivo, probabile est culpam non esse mortalem, si die festo fiant; idque propter aliquam cum rebus Sacris propinquitatem. Ita Toller. lib. 4. cap. 25. Suar. tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 2. cap. 22. num. 11. At arare, ligna cadere, lapides ferre, etiam ad Ecclesiam edificandam, &c. nequaquam licet, prætextu, quòd hæc fiant pro Ecclesiâ; ex Castro Pal. loc. cit. num. 1. sine Bonac. apud Dianam p. 3. tract. 3. ref. 8. remotè enim cultum divinum respiciunt, & consequenter non judicantur sanctimoniam, liberalitatemque sufficientem participare, secus omnes Rustici, omnesque famuli servientes Ecclesiis, non tenerentur servare festa; quod est inauditum, contra Sà in editione gen. v. Festum, n. 14. ubi sic excusantur laborantes pro loco pio, aut publico, in expurgata hoc expulsum fuit.

Quid hæc in re fieri ob paupertatem Ecclesiæ licet mox dicam à num. 14.

4. Fagundes p. Eccl. præcepto, lib. 1. cap. 14. num. 4. Pellizz. in man. Reg. tract. 8. cap. 4. num. 20. docent præparatas vias ad processiones licere sine mortali; sed esse tantum veniale, si pridie parari possint; at tabulata ad eandem processionem, v.g. videbam, licet, si pridie confecta propter oblivionem, vel propter alia legitima impedimenta non potuerint, licet die festo construantur; quia ita concedit & hic nunc cultus divinus: tamen ex se peccatum mortale esse, scienter diffuso, in diem festum, quia de se talis actio, servilis omnino est, & multum à sacra distans, & remotas non sic viam parare, id enim est magis conjunctum cum divino cultu, quàm dicta Tabulata compingere.

5. Ex qua doctrina infero. Sepulchra Christi Domini pro hebdomada Sancta, & præsepia ejusdem pro diebus factis Natalis, & moles artificiosas ad exponendam in iis Divinam Eucharistiam, & Cœnam ad representationem sacram, licet collocari in Ecclesiis, saltem sine mortali posse die festo; etiam cum veniali, si potuissent antea: non posse eadem fabricari, vel arcus triumphales erigi; vel Pyras igneas, & similia construi. Ratio est, quia illa æquiparantur præparationi viarum, cum habeant aliquam propinquitatem ad res sacras: hæc similia sunt tabulari, quæ satis remotè ad res sacras referuntur; sepper intellige, præcisa necessitate, quæ facillimè tum in tabulatis, tum in his inveniri potest, quando nimirum, ut modò dixi, non potuerint die non festivo illa fieri, vel certè bona fide prævisum id antea non fuit, vel tandem adfuit dispensatio, de qua mox suo loco.

Diximus n. 3. de ornandis Templis, sed quid de iisdem ab ornatu spoliandis? & hoc abstrahendo ab alia necessitate, ut esset notabilis obligatio statim reddendi ornamenta, carentia eorum, qui possent id efficere die sequenti non festivo, &c.

Puto, in hoc casu non posse duci excusationem à cultu sacro, sicut diximus in casu, quo idem Templum ornatur. Ratio est, quia ornare ad sacrum cultum aliquo tantum modo propinquè pertinet, ut ibidem vidimus. At ornatum auferre, non ita, cum potius id dirigatur ad ornatum asservandum, quòd sacrum quid non est.

Necessitas corporalis.

6. Quia præceptum, de quo agimus, non est interpretandum rigorosè, sed benignè, & moraliter, ut ex ipso Fidelissimè colligimus; ideo quælibet non modica, sed nec necessitatio maxima necessitas, excusabit à culpa eam, qui die festivo operata servilia peregerit.

Excusat ergo necessitas corporalis propria, vel proximi, vel Republicæ: Hinc pauperi ad se, suosque alendos conceditur (audita Missa, & sine scandalo, quòd in sequentibus etiam semper intelligitur). arti servili cuique vacare: immò tanta potest urgere necessitas, ut is possit etiam Missam relinquere. Hinc licet cibos sibi coquere, panemque necessarium conficere, ac fructus ad quotidianum usum colligere. Dico (sibi necessarium ad quotidianum usum) nam præstendo ab his, quid sit sentiendum, mox n. 9. asseram. Hinc ferere, arare, vindemiam facere, metere, messem colligere, quando est probabile periculum pluvie, vel alterius impedimenti, omnino licet. Hinc Sartori, vel cuique licet vestes suæ, quando bona fide absolvi diebus feriatis non possunt, & eas ad usum expectant, qui suendas dederunt. Hinc Chirurgus, vel Pharmacopola, vel quilibet potest medicamenta componere, vel aliud facere; si tunc infirmus iis indigeat, nec commodè, prudentis judicio, compositio, vel alia quæpiam res transferri, aut præteriri potest. Sit autem ex Suarez tom. 1. de Rel. tract. 2. lib. 2. de diebus festis, cap. 32. num. 6. hoc iudicium benignius, si agatur de salute proximi, quàm si de tua, quia in tua est periculum amoris proprii; in aliena, facilius à charitate dirigeris: Hinc in solemnitatibus etiam sacculis

nimirum proximus in periculo moraliter certo existit gravis damni, siue in corpore, siue in honore, siue in bonis; Huc autem pertinet, quando Ecclesia est nimis pauper, ita ut non habeat necessaria ad cultum divinum, vel ad suorum ministrorum sustentationem. Ita Tol. in sum. l. 4. n. 2. vide Fagund. 1. Ecc. praec. l. 1. cap. 1. §. 1. alia denique communis, quae scilicet paupere communiter laborant, cui necessitati potest esse pauper siue sua, siue alterius ope, licet cum difficultate, succurrere.

16. Dico jam pro communi non dicere pro extrema, & gravi alicujus certi pauperis, vel Ecclesiae, licere tibi in die festo mechanicis artibus operam dare, in quem diem si incideret praecceptum de jejunando, dico te posse licite etiam tum laborare, & sic à jejunando excusari. Lege Fag. ibi num. 16. 19. Ratio est, quia festorum, ut & jejunij observatio, praecipitur sub gravi praeccepto quod non est probabile vinci posse à qualibet communi proximi necessitate, secus passim omnes dies festi, & jejunia omnia violantur, cum passim ejusmodi necessitates occurrant: at ab extrema, vel gravi vincitur, saltem tacite Ecclesia consentiente. Certè ex communi sententia, apud Cast. tom. 1. de charit. d. 2. p. 9. n. 1. ad necessitatem extremam proximi succurrendum, licet rem divitis surripere; & ex multum probabili, etiam ad gravem, ita ut tunc minime obliget praecceptum de furto non committendo; multò ergo magis non obligabit praecceptum Ecclesiae ad abstinentiam à servilibus, & à cibis. Ita idem Fag. l. c. n. 6. citans Suar. Navarr. Toletum, & alios.

17. Ex his collige rationem consilij, quod olim dedi Nobilissimae, & aequae ac piissimae puellae hic Panomi. Scilicet ea est à me, an diebus festis possit alicubi operi servili suendi, vel vestis phrygiae elaborandi vacare, quo post implerum Missae praecceptum otium falleret diei; quem quidem diem alia ejusdem conditionis forminae in nugis, atque confabulationibus, ut interim alia taceam, vanè consumunt?

18. Dixi sententiam esse Doctorem non ignobilis notae, licere ad otium vitandum aliquid laborare die festo: Ita Sylvester. v. Dominici, quest. 5. conc. 4. marg. 3. praec. f. 1. 2. Sa. 2. Festum num. 6. Pell. in man. Reg. tract. 8. cap. 4. fin. sed id negari verius ab aliis; Ita Sanchez lib. 1. conf. cap. 2. d. 8. num. 13. Laym. l. 4. tr. 7. c. 4. n. 2. fin. aliquid nam aliis viis licitisque operibus provideri otio potest; nec tantum praecceptum pro causa tam levi, negligendum est. Excepitur dumtaxat ab illis Doctores, si quando in orio demonis tentatio urgeret, ut labore illo succurri posse tanto malo crederetur, quia certè in eo eventu urgeret boni spiritualis notabilis, graveque necessitas. Puella haec responsio nequaquam placuit: tum quia religiosissima erat conscientia, tum quia non quidem tentationes illas graves in hoc suo otio experiebatur, sed tantummodo molestiam quandam, animique molestiam.

Dixi ergo iterum ipsam, immò & ancillas suas quemcunque laborem, audità Missa, posse suscipere, quo aliquid laborarent, quod pauperi alicui Ecclesiae, necessariis ornamentis apud cultum divinum pertinentibus, carenti consecrarent, vel quo pauperi alicui peculiari, & extremae, gravemque necessitate patienti, auxilium praestarent; tunc enim & ab otij, & radio se, suasque ancillas subduceret, & Deo ob doctrinam modo a latam ejusmodi servilis labor non displiceret: Nota Lector, me dixisse (alicui peculiari) nam in genere pro Ecclesia, vel paupere laborare; cum in tali universitate non appareat urgens, gravisque, ac certa necessitas, non posse die festo laborari, rectè adverteit Fagundez, 1. c. n. 1. praec. l. 1. cap. 14. n. 19. Potè acquievit huic consilio Nobilissimae puella, non paucis aegrotis summa necessitate constitutis: suo festivo labore per maximam pietatem deinceps alimenta festivè suppeditavit.

Necessitas Spiritualis.

19. De hac per occasionem satis sit pauca modò dixisse n. 18.

Absenti ubi celebratur Festum.

20. Si quis, ex Sanch. Suar. Filii Navar. aliique apud Bon. 3. Eccles. disp. 6. q. unic. part. 3. n. 17. siue calu, siue etiam cum intentione, labore, exit à loco, ubi agitur dies festus; accedens ad locum; ubi festum non est; ibidem posse cum servilia operari, nec per illam intentionem peccare, & alia simili satis colliguntur ex supradictis, cap. 3. §. 2. n. 10. quia nimirum is non transgreditur praecceptum, sed utitur jure suo, illius obligationem à se excutiendo; illum locum recole, & satis erit.

Consuetudo.

21. Haec est excusatio communis in omnibus praecceptis, & legibus humanis; nam propterea solum hae aliqua consuetudines subdam circa nostram materiam ab Auditoribus approbatas; ceteras quisque exploret in Patria sua, inventasque custodiat.

22. Cajetanus 2. 2. quest. 122. l. 4. & Suarez tom. 1. de Rel. l. 2. cap. 2. n. 3. cum docuissent actiones coquendi cibos, aliaque, quae ad praeparationem culinariae mensaeque ordinariae pertinent, esse de servile; addunt consuetudinem tamen eas fecisse jam licitas. Notat insuper Fag. i. Ethel. p. 1. c. 1. n. 19. fuisse hanc consuetudinem actionem ad praeparationem ciborum artificialium, atque ad actiones colligendi cucurbitas, occidendi, excoquantia animalia, quando haec fieri antecessenti die poterunt.

23. Toletus in sum. l. 1. cap. 24. l. Cajetanus l. c. Sotus, lib. 2. de just. q. 4. ar. 4. ajunt venationes, aucupationes, piscationes esse ex se prohibitas die festo, sed jam excusari consuetudine, quae videtur praevaluisse, scientibus & patientibus Praelatis. Intellego autem, si haec fiant sine magno apparatu, ut §. 1. num. 9. explicui. Et quavis Suar. 1. 1. de Rel. lib. 2. c. 28. n. 3. restringat consuetudinem de piscatione, ad eam, quae fit flumine; tamen praedicti Doctores citati, sup. cum de Piscatura, lib. 1. quibus adde Sanch. in consil. l. 5. c. 2. d. 1. §. 2. loquuntur universim: Et certè, quando sit sine magno apparatu (ut etiam piscari arundine quamvis ob lucrum, eadem videtur esse ratio; siue in fluvio exerceatur, siue in mari).

24. Fagundez l. c. c. 1. num. 3. cum docuisset actionem delineandi imaginem; & lineas ducendi ad illam postea pingendam esse (in sua sententia; nam in nostra jam diximus supra) opus servile, addit solum excusari posse, vel ex parvitate materiae, seu temporis, vel ex consuetudine, vel ex eo quod illud non sit pingere; sed memoriam jugare.

25. Idem ibid. n. 22. cum statuisset opus digladiandi esse opus mechanicum, subdit: Consuetudo tamen hanc actionem fecit licitam, addiscunt enim juvenes, artem digladiandi diebus Dominicis, videturque, & consentientibus Praelatis.

26. Rodriguez, in summa, cap. 122. n. 4. & Navarrus conf. 1. de festorum observatione, excusant venditiones Calceorum, ob consuetudinem visam & toleratam à Praelatis.

27. Cast. Pal. tom. 2. d. 2. de observ. festorum. p. 6. n. 21. docet usum, quo fiunt aliquae exercitationes Militares, licere die festivo; tum ratione consuetudinis, tum moralis necessitatis, quia non possunt comodè aliis diebus fieri.

28. Sanchez, in consil. l. 5. c. 2. d. 18. n. 12. sic habet: Etiam cessante necessitate, & consuetudine antiquissima sunt licita aliqua munera, quae solum facere Agricola in vere, dum habent segates in area, scilicet tritum vertere, extendere, aut separare: & idem est de consuetudine Hortulanorum viginti olera in die festo, maxime quando in his omnibus intervenerit aliqua necessitas sic docet superiores.

29. Sanch. v. Festum n. 5. sic docet: Inter agere etiam committitur multis opusculis suppellectilibus, licet concedente id consuetudine molendina item, & mundinae excuset consuetudo.

30. Addam denique, & ego junior consuetudinem illam; quae omnibus fere diebus festis à Prandio famuli praediis inservientes, solent in Sicilia lignatum à Dominis mitti; tum nimirum singuli suum fascè, certè cum notabilis temporis jactura, colligentes, domum ad communes usus

habetis asportent. Observavi id cum ruri essem; perperam (nulli enim me per sepe jura, & illis otio, quo nunquam minus otiosus sum, litteris vacare) observavi, inquit, & quævis non semel à Dominis, quo jure die festo præcipiunt; responderuntque sic, morem sui loci convaluisse, ut qui famuli die festo Domini primum comederent, idem & Dominis, ne tota die otio essent, aliquid inferirent: At illi excusatio, atque, quodammodo mos inductus est, non videri condemnandum castitiam.

Dispensatio.

31. Si adest causa moraliter certo excusans ab observatione festi, perpena scilicet sollemnitate festi, necesse est operis, ceterisque circumstantiis; Superioris dispensatione opus non est. Ita Azor Sylvestre, Suarez aliique in publicis laborandum, ut vitetur scandalum; Penam dispensatio quæ gratis ex Concil. Trid. sess. 2. c. 18. (in ceteris omnes dispensationes) dari debet. Si verò nulla adeest causa, nec est petenda, nec concedenda dispensatio: quod si concedatur, peccabitur an valde tamen deest, mox n. 37. docebimus: denique quanto prius iudicis publici (nam ceteris regula ad sufficientem causam hac in re dignoscendam, non habetur) dubium est, an causa sit sufficienter excusans; tunc enim vera dispensatio concedi potest, quâ impetrata operi servili, die festo sine scupulo vacabitur.

32. Sed quis Superior eam legitime dabit? Summum Pontificem in festis quibuscunque posse valde, etiam sine causa licet sine eadem illicitè, dubium ne sit. Ita DD. de c. passim. Illicite mortaliter, an venialiter? Vnde apud Castro Pal. tom. 1. str. 2. de diff. 6. p. 8. §. 1. n. 5. Pontifex lib. 8. de matr. c. 14. n. 4. Sanchez lib. 8. de matr. d. 8. n. 7. de retractan. lib. 5. conf. 3. d. 6. n. 6. lege eundem Sanchez de matr. lib. 8. d. 8. n. 4. simili modo ordinarius in festis, iuxta Ducelesano, vel propria consuetudine introductis: Hi enim cum causa ita dispensare possunt in particularibus casibus, quoad festa introducta à jure communi; ut hac non existente, non solum illicitam, verum etiam invalidam dispensationem, si attulerunt frustra concedant, cupis rationem trademus infra, c. 3. §. 7. n. 55.

33. Nominè Ordinarij in hac materia veniunt, ex Fagundez ibid. aliique cit. Primò Episcopi, omnèque jurisdictionem Episcopalem exercentes, eorumque Vicarij Generales in spiritualibus, non jam ex Generali Vicarij concessione, sed ex speciali mandato. Ita Merolla r. 3. de cap. 6. dub. 57. n. 146. Barbosa de potestate Episcop. p. 3. cap. 4. n. 2. alios citans Sanch. de matr. lib. 3. d. 40. n. 12. siquidem in Mandato generali non committuntur ea quæ sapienter liberalitatem, & gratiam, qualis certè est quæcunque dispensatio. Quod si in generali Vicarij creatione committi intelligitur dispensatio in deordinationibus Matrimonij, id propter peculiarem concessionem Tridentini esse, notant Juris Doctores apud Meroll. ibid. n. 354. Nam ceterum, utpote gratia, mandatum speciale requiritur & ipsa.

34. Secundò, veniunt Prælati Regulares, quales sunt Generales, Provinciales, Superioresque locales, totius Monasterij regimen habentes; semper, quoad suos dumtaxat subditos.

35. Quid, quoad famulos sæculares? De jure nihil circa hos Prælati Regulares hac in re possunt; quia sæculares de Religiosorum jurisdictione spirituali non sunt, ex vi privilegiorum modicissimum quid illis conceditur, quod sic tradit Portella in dub. reg. v. Laborare: Episcopus I. V. (orat. 7. in Bull. Rodrig. leg. & alium Rodriguez in compend. 67. n. 13.) concessit, quod sæculares quique peccato possint laborare in nostris Conventibus in die S. Crucis Septembris, in die S. Michaelis, Sanctorum Innocentium, S. Sylvestri, quando non incidunt in Dominum. Vide videam Prælatis se peccare mortaliter alios, si

Part. I.

contra prædictam explicationem invicent, vel patiantur, quod in suis Conventibus sæculares laborent, etiam gratis? Hæc ille.

Vbi nota. Primò, hoc esse vivæ vocis oraculum; Secundò, propter paritatem cum prædicto festo Sanctæ Crucis, inter autem esse, de quoniam festo S. Michaelis sit locutio; de eo quod celebratur mense Septembris, an quod mense Maij: Tertiò, nobis ex Societate in compend. privi. Soc. Jesu, hoc tantulum privilegium nondum à N. P. Generali communicatum esse.

36. Tertiò, nomine Ordinarij hic præterea venit Capitulum, Sede vacante; sic Fagundez l. c. aliique, quia hoc succedit in universa jurisdictione Episcopi præmori, ex Merolla tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 1. num. 2. exceptis casibus in jure expressis; non autem in jure invenitur expressum, non posse has dispensationes expedire; idem ibid. n. 33. Idem potest Vicarius Generalis ejusdem Capituli, ibid. n. 34. sine, sed ex speciali mandato, juxta dicta n. 33. de Vicario Episcopi.

Prædictos Episcopos, Prælatos Regulares, Vicariosque posse suas vices dispensandi aliis committere, dicendo: Si aliter tertius approbaverit causam, is dispenset, etiam certum videtur: quia, cum sint ordinarij, vel certè delegari ad universalitatem hujus causæ, poterunt subdelegare. Ita Sanch. lib. 3. matr. tota d. 31.

37. Quartò denique, veniunt etiam & Parochi, absente Ordinatio: ita Azor, Sylvestre, aliique apud Fagund. l. c. n. 37. (putarem, etiam ipso præsentè, propter ea, quæ dicam in simili infra, cap. 5. §. 6. n. 56. cum de jejunio) pro casibus occurrentibus, id quod saltem consuetudine introductum est; ne scilicet desit Parochianis, ad quæ in quotidianis dubiis recurrant: Quoniam autem hæc commissio videtur concessa Parochi ad universalitatem hujus causæ, quantumvis, quantum limitata, id est, in occurrentibus casibus; ideo & poterunt eam, modo n. 36. præcedenti dicto, alteri subdelegare, ut ex eodem Sanch. ibid. n. 4. & 21. colligi potest.

Nonnulla de hac dispensatione dicitur infra, cum de dispensatione jejunij: nam quæ ibi, quæque hic dicuntur, invicem sibi lucem pariant.

38. Superest docere. An Episcopus possit, quando hac in re dispensat, imponere Fideli, ut aliquam elargiatur elemosynam pauperi Ecclesiæ?

Respondeo: Si causa dispensationis, à festi observantia excusans, est certa, non videtur posse, quia tunc nihil concedit Episcopus: ex se enim Fidelis valet laborare: Si est dubia, satis probabile est, eum posse aliquid moderatum imponere, sic Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. de diebus festis, c. 16. n. 4. Layus lib. 1. str. 4. c. 22. n. 29. aliqueque enim nil aliud est, nisi cultum Deo per observationem festi tribuendum, in aliud bonum opus commutare. Nec rationes in contrarium, quas ex Sanchez loc. mox citando, n. 9. adducit Bonacina tom. 2. d. 1. de legibus, q. 1. p. 3. numer. 23. in contrarium, tanti sunt momenti, ut non possint facile solvi quantum faciunt contra præsentem hanc doctrinam: cas; si est otium, apud ipsos lege.

39. Quid, si nulla existente causâ excusante, Superior dispenset ad labores die festo suscipiendos solum, ut fiat aliquod aliud opus bonum à laborante, v. g. ut ab eodem applicetur elemosyna alicui operti pio, legitime erit dispensatio? Respondeo affirmative, si elemosyna elargienda sit certo pauperi, vel Ecclesiæ, extreme, vel graviter indigentibus, quibus non patet alia via ut succurratur: tunc enim ipsum auxilium tantæ paupertati attribuendum, causam sufficientem gravem affert, ut ex supradictis colligi potest: Verum, si alia via succurrendi appareat, unde nec extrema, nec gravis necessitas existimetur; non video, cur possit Episcopus in festis jure superiori inductis. Ita Sanch. l. 3. de matr. d. 10. n. 9. fin. Ratio est, quia Prælati inferiores nihil possunt in legibus Superioris, nisi, quantum Superior expressè, vel tacitè conceperit, ut est communior, & probabilior opinio. Ita Sanch. Suarez. Bonac. Guttier. aliique, quos citat: sequiturque

Q. 2.

Cast.

Cast. *tom. 1. tr. 3. d. 6. de dispens. leg. q. 4. n. 8.* att nullibi apparet adesse ejusmodi concessionem, ut scilicet nulla existente causa subditos exculante, dubia ne quidem, & solum ad communes elemosynas distribuendas, vel ad quodcumque aliud opus bonum faciendum, inferior Pontifice dispense in legibus iuris communis, qualis est observatio festorum, vel jejuniorum, id enim esse dispensare ex causa; sed commutare ad libitum, atque adeo transcendere limites dictae concessionis. Dixi autem (in festis iure Superiori inductis) nam de Summo Pontifice in his, vel de Episcopis in festis iure Dioecelano impositis, alia est ratio, de qua *alibi*.

40. Illud approbo, quia in aliquibus Dioecibus imposita est concedens multa pecuniaria laborantibus in die festo; hanc posse, ut faret Sanch. *lib. 3. de matr. d. n. 10.* probato delicto, & sine fraude exigis & posse, immo debere (ut monet de omnibus similibus poenis Tridentinum *sess. 25. c. 3. de reform. matr.*) locis piis applicari.

41. Cur signate dictum est (sine fraude)? Quia alicubi (dolens refero; quod videtur) ab Episcopis constituti sunt aliqui Officiales, quibus festorum iura dedit nomen *Festuariorum*, quorum est munus laborantes die festo deprehendere, deferre, ac multa pecuniaria condemnare. Ex his ergo Festuarii nonnulli nullo rubore, religione nulla, interdum pactum ineunt cum artificibus, camporumque cultoribus, ut reddant quandam pecuniae censum quotannis, ne eodem anno ab ipsis Festuariis molestiam patiantur, quo freti pacto, an Opifices, ac Rustici faciliores sint ad frangendam legem, alii judicent. Illud proclamo, & id concedi, vel permitti, & ab ipsis Officialibus id praestari, indignum, scandalosum, perniciosum esse.

CAPUT IV.

De Actionibus quibusdam non servilibus die festo prohibitis.

§. I. *Haec sunt Mercatus, Placitum, seu Iudicium forense, Iuramentum, Mercatus.*

1. **T**ripliciter sumitur Mercatus. Primò enim significat universales Nundinas (Italicè *Fiera*) quae semel, vel bis in anno ad publicum commercium celebrantur. Secundò, Nundinas de quibusdam rebus usualibus, (Italicè *Mercato*) quae semel in hebdomada ad Oppidi abundantiam sunt institutae; Tertio, ipsum actum mercandi; id est, emptionem, venditionemque rerum, c. 1. *ult. de Feriis*, l. 1. 2. 3. *et ult. c. eodem tit.*

2. Primus jam est in usu etiam in festis: Sic Tolet. Suarez, Fagund. Azor. quos citat, sequiturque Castro Pal. *tom. 2. tr. 2. d. 1. de observ. fest. p. 6. n. 4.* Secundum video alicubi in die festo non permitti, licet jam ex consuetudine permitti, dicat Castro Pal. *ibid.* Servetur ergo consuetudo Patriae. Tertius magna ex parte consuetudine videtur jam permissus, videmus enim (ait idem *ibidem*) operarios sine ullo scrupulo die festo conducere, bona defraetor publicae voce Praeconis vendi, necessaria cibo, & potui venalia fieri, calceosque aliasque res leves emi, ac denique passim fiunt privatae venditiones, vel locationes, solum propter reverentiam festi non quasi in publico id fit; sed semiclausis officinarum januis: servetur ergo loci consuetudo.

3. Alicubi venduntur per Urbem publice Cupedia, & res esculentae ad populum, & maxime puerorum illicitamenta: atque ut id impune faciant, impetrant vendentes licentiam à Ministris Ecclesiasticis, data elemosyna. De hac ergo re illud tene, quod paulò *superius*, c. 3. §. 2. n. 41. cum de Festuariis ageremus, habuisti.

Placitum.

4. Placiti nomine comprehenditur omnis strepitus judicialis, id est, citatio partis, formatio processus, seu

cognitio causae, & sententiae, sententiaeque executio in causis omnibus civilibus, & criminalibus, à quocumque fiant iudice, sive Ecclesiastico, sive seculari: quae omnes actiones non solum sunt, nisi addit legitima exculatio, illicitae, sed insuper invalidae. Ita Laym. *lib. 4. tr. 7. c. 2. n. 7.* alique passim; Fagundez *lib. 1. Eccl. praec. cap. 14.* fuit. Castro. item fuit loco cit.

5. Puro tamen licere presentationes facere, institutiones, collationes, provisiones, & cetera Beneficiorum; quia haec non afferunt strepitum iudiciale, nam propterea ne putes vetitum esse diebus festis excommunicationem ferre in aliquem, nec multò magis ab illa absolvi, & ea facere, quae sunt voluntariae iurisdictionis, ut est, v. g. expedire dispensationes; quia haec non requirunt iudiciale causae cognitionem. Pari modo, si Advocates Iudicem informet, si arbitrator, non ut Iudex, amicabilem compositionem statuatur, si Iudex privam sententiam postea proferendam scribat, &c. contra observantiam festi, propter eandem rationem non agent.

6. Nec tamen hic deest causa exculans, nempe necessitas, & pietas. Festis ergo diebus possunt expediri licite causae alimentorum, Carceratorum, Pupillorum, Viduarum, & miserabilium personarum: item causae, quae celeritatem requirunt, quia alioquin res peritura sit. Ita Layman. *ibid.* Et Suarez quidem *tom. 1. de Relig. tract. 2. l. 2. de observ. fest. cap. 30. ad fin.* notat larronem de fuga suspectum, posse die festo capi, & in carcerem trudi; item in pagis causas civiles agitari, si aliis profestis diebus rustici nec adesse, nec vocari commodè valent.

7. Quia ratione hic etiam habeat locum parvitas materis, vide apud Fagundez *lib. 1. Eccl. 1. p. praec. c. 2. n. 8.* & Suarium *l. c. c. 31.*

Iuramentum.

8. De hoc satis sit adnotare, quae compendiosè affert Layman *ibid. n. 8.* Probabile est, inquit, quod Caietanus docet, iuramenta in die festo prohibita non esse praeter judicialia. Alia vero negotia, quae die festo exercentur, ut inauguratio Doctorum, Contractus aliquis civilis, etiam iuramenta, si opus sit, confirmari poterunt, accessorium enim sequitur sum principale. Quod si in cap. 1. de Feriis, maior prohibitio iuramentis facta fuit, si Textus significare videtur; non est id usu receptum, vel postea abrogatum.

CAPUT V.

De Jejunio.

1. **N**on hic agemus de jejunio naturali, praenecessario ad Eucharistiae receptionem, quod abstinentiam à cibo, & potu requirit omnimodam, nec de morali, quo juxta rectae rationis regulas abstinemus prudenter à dictis: sed de Ecclesiastico, quod Fidelibus praecipitur statis diebus, potestque describi esse ex Azor. *tom. 1. lib. 7. c. 9. de jejun. q. 1.* Abstinentia à cerò genere ciborum sub unica concessorum comestione, sub meridie suscipienda. Abstinentia à carnibus tantum, cum facultate pluries in die alios cibos comedendi, quae ab Ecclesia servatur Feria sexta, & Sabbato; vocari quidem solet Jejunium, sed largè.

§. I. De qualitate ciborum jejunij.

Abstinentia à carnibus.

1. **H**anc esse de Jejunij essentia, saltem ob universalissimam consuetudinem, firmiter communiter Doctores, Ita S. Thom. *q. 147. art. 8.* Sylvester *v. Jejunium*. Navarr. *c. 2. n. 10.* alique mox citandi; ex quo principio colliguntur sequentia.

2. Primò, Dispensatus ad carnes edendas, liber est à jejunio. Ita Caiet. in praedictum locum S. Thom. Fagund. multos referens *prac. Eccl. 4. lib. 1. c. 2. n. 6.* quidquid dicat Joan. Medina *Code de jejunio, quest. 5. d. 2. ad finem.* Ratio est, quia ad actionem quampiam quis teneri non potest